

SULPICIUS LUPERCUS SERVASIUS JUNIOR

CARMINA (54 vers)

DE VETUSTATE

S1 v.1 Omne quod Natura parens creavit,
 2 quamlibet firmum videas, labascit :
 3 tempore ac longo fragile et caducum
 4 solvitur usu.
 5 Amnis insueta solet ire valle,
 6 mutat et rectos via certa cursus,
 7 rupta cum cedit male pertinaci
 8 ripa fluento.
 9 Decidens scabrum cavat unda tofum,
 10 ferreus vomis tenuatur agris,
 11 splendet attrito digitos honorans
 12 anulus auro.

DE CUPIDITATE

S2 v.1 Heu misera in nimios hominum petulantia census !
 2 Caecus inutilium quo ruit ardor opum,
 3 auri dira fames et non expleta libido
 4 ferali pretio vendat ut omne nefas !
 5 Sic latebras Eriphyla viri patefecit, ubi aurum
 6 accepit, turpis materiam sceleris ;
 7 sic quondam Acrisiae in gremium per claustra puellae
 8 corruptore auro fluxit adulterium.
 9 O quam mendose votum insaturabile habendi
 10 imbuit infami pectora nostra malo !
 11 Quamlibet immenso dives vigil incubet auro,
 12 aestuat augendae dira cupido rei.
 13 Heu mala paupertas numquam locupletis avari !
 14 Dum struere immodice quod tenet optat, eget.
 15 Quis metus hic legum quaeve est reverentia veri,
 16 crescenti nummo si mage cura subest ?
 17 Cognatorum animas promptum est patrumque cruorem
 18 fundier : affectus vincit avara fames.
 19 Divitis est, semper fragiles male quaerere gazas :
 20 nulla huic in lucro cura pudoris erit.
 21 Istud templorum damno excidioque requirit ;
 22 hoc caelo jubeas ut petat : inde petet.
 23 Mirum ni pulchras artes Romana juvenus
 24 discat et egregio sudet in eloquio,
 25 ut post jurisonae famosa stipendia linguae
 26 barbaricae ingeniis anteferantur opes.
 27 At qui sunt, quos propter honestum rumpere foedus
 28 audeat illicite pallida avaritia ?
 29 Romani sermonis egent, ridendaque verba

30 frangit ad horribilos turbida lingua sonos.
31 Sed tamen ex cultu appetitur spes grata nepotum ?
32 Saltem istud nostri forsā honoris habent ?
33 Ambusti torris species, exesaque saeclo
34 ambulant ut priscis corpora de tumulis !
35 Perplexi crines, frons improba, tempora pressa,
36 exstantes malae deficiente gena,
37 simataeque jacent pando sinuamine nares,
38 territat os nudum caesaque labra tument.
39 Defossum in ventrem propulso pondere tergum
40 frangitur et vacuo crure tument genua.
41 Decolor in malis species, hoc turpius illud,
42 quod cutis obscure pallet in invidiam.